



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

254. An mandatum conferendi datum Vicario sit latæ interpretationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

ficia resignata permutantibus conferantur. Unde verisimile est, Episcopum dando potestatem faciendi collationem, quæ necessariò illis fieri debet. Laym. loc. cit. n. 6. Castropal. loc. cit. n. 13. citans Azor. p. 2. l. 3. c. 44. q. 6. & Dominic. in c. fin. de off. Vic. in 6. Garc. p. 5. c. 5. n. 104. & 108. citans insuper Coral. de benef. p. 2. c. 8. num. 2. Zechum de benef. & pens. c. 2. contra Rebuff. in pr. tit. de form. Vicar. n. 104. & 106. Staphil. de lit. grat. tit. de var. mod. §. resignationes. num. 23. Barbof. ubi supra. n. 68. Felin. in c. auditis. de præscrip. n. 3. apud Castropal.

3. De cetero ex data Vicario facultate admittendi resignationes, non addito: etiam ex causa permutationis, non potest Vicarius admittere resignationes ex causa permutationis factas; quia aliud est admittere resignationes, aliud dare auctoritatem permutare volentibus, ut fit in admissione resignationis permutationis gratiâ. Castropal. num. 12. Garc. num. 110. Garc. num. 110. citantes Rebuff. ubi ante. Contra Petrum de Perus. de permutat. benef. p. 2. q. 6. n. 23.

Questio 253. An ex data Vicario potestate destituendi seu privandi beneficiis arguatur concessa eidem conferendi?

Resp. negativè. Sicut nec vice versâ concessâ potestate conferendi venit potestas destituendi; tamen enim hæc ferme conjuncta sunt in potestate ordinaria, non tamen delegata seu commissa; cum hæc dependeat à voluntate committentis Laym. loc. cit. num. 7. Pirh. de off. Vicar. num. 53. Nec obstat, quòd, qui potest destituere, potest etiam instituere & beneficia conferre; nam etsi id verum in habente potestatem ordinariam, non tamen in eo, qui habet destituere specialiter ex delegatione vel commissione. Pirh. loc. cit. citans Paris.

Questio 254. Num speciale mandatum conferendi concessum Vicario sit lata interpretationis?

Respond. affirmativè. Castropal. Traç. 13. d. 2. p. 30. num. 7. Barbof. de potest. Episc. alleg. 54. num. 63. Pax-Jord. l. 12. tit. 1. num. 171. Azor. p. 2. l. 3. c. 44. q. 8. Sbroz. l. 2. q. 82. num. 1. siquidem talis facultas data Vicario, cum sit favor & beneficium cedens in detrimentum solius concedentis, latè, quantum fieri potest, est interpretanda. Castrop. loc. cit. ubi illud observandum ex Cucho, de instit. jur. can. l. 2. tit. 8. num. 90. apud Pax-Jord. loc. cit. num. 174. Quòd lata interpretatio attenditur, præsertim contra concedentem; Respectu vero tertii strictè, quatenus patitur natura verborum. Porrò latissimam illam interpretationem faciendam esse ab aliis, à Principe verò sive ab alio gratiam concedente illius auctoritate posse fieri interpretationem, prout illis placuerit juxta L. & ideo ff. de ll. c. inter alia. de sentent. excommunicationis. Unde jam privilegium alicui concessum à Papa ad conferenda beneficia alienæ Diocesis angustè interpretandum esse, utpote aufferens ordinariis collatoribus, & sic tertius conferendi facultatem.

Questio 254. Facultas illa specialiter concessa Vicario conferendi omnia beneficia, quæ spectant ad collationem Episcopi, ad quæ in specie beneficia se extendat?

1. **R**esp. primò extendit se ad curata. Pax-Jord. Castrop. Barbof. ll. cit. Fagn. in c. de mandato. de Simon. n. 36. Sbroz. l. 2. q. 82. n. 1. citans Cuchum. instit. jur. can. de Vicar. Episc. num. 91. Rebuff. in pr. tit. de form. Vicar. n. 116. Felin. in c. causam que. de rescrip. n. 14. Staphil. & c. Licet enim in provisione non veniant curata, nisi fiat de iis mentio. c. cum in illis. de præb. in 6. quia tamen dicta facultas est favorabilis, est amplianda. Sbroz. loc. cit. & hæc sub nomine beneficiorum simpliciter prolato veniunt in materia favorabili, & non ambitiosa, & nulli præjudicanti. Castropal. Azor. Barbof. Pax-Jord. Pirh. Fagn. ll. cit. Qualiter etiam procurator constitutus ad acceptandum beneficia potest etiam acceptare curata teste Imol. in c. accedens. de præb. col. 2. Staphil. de liter. grat. rubrica. de modo & form. impetrandi. vers. prædicta tamen. apud Sbroz. loc. cit. num. 2.

2. Secundò ad beneficia in Cathedralibus propter easdem rationes. Azor. Pax-Jord. Castropal. Barbof. ll. cit.

3. Tertio ad dignitates. Pirh. cit. n. 50. in fine. Pax-Jord. Barbof. ll. cit. Azor. loc. cit. q. 7. Sbroz. l. 2. q. 81. citans Gemin. in c. fin. de off. Vicar. in 6. n. 11. Lapum. alleg. 84. num. 10. Felin. ubi ante Selv. p. 3. q. 65. Cuch. ubi ante. n. 91. Abb. Mandos. Staphil. & c. Quia in materia favorabili non ambitiosa vel penali, qualis est collatio beneficiorum, veniunt dignitates. Sbroz. loc. cit. nu. 2. Quamvis n. 3. dicat, Rebuffum tit. de form. Vicar. n. 111. subungere, tutius esse exprimere: etiam dignitates.

4. Quarto ad præbendas, capellas, officia & munia ecclesiastica. Pax-Jord. loc. cit. Sbroz. cit. q. 82. num. 1. citatis pluribus ob eandem rationem.

5. Quintò ad beneficia vacantia jam ante concessam hanc Vicario facultatem conferendi; et quòd hujusmodi provisio favorabilis sit, & ideo amplianda. Sbroz. l. 2. q. 84. num. 1. & ex eo Pax-Jord. num. 176.

6. Sexto ad beneficia post concessam illam Vicario facultatem priùs erecta, et quòd dicta concessio sit favorabilis. Castropal. loc. cit. n. 7. Quem secutus fui in foro benefico. p. 2. q. 690. n. 3. contra Barbof. cit. n. 63. Azor. cit. q. 8. Pirh. citantem Rebuff. ubi ante. n. 124. tenentes contrarium ex eo fundamento, quòd ea tempore data aut accepta potestatis non fuerint in rerum natura, & quòd id colligi videatur, ut Azor. ex Clem. literas. de rescrip. juncta gl. quibuscumque etiam sentit Sbroz. l. 2. q. 73. ubi: ex mandato speciali conferendi non potest Vicarius Episcopi conferre beneficia de novo erecta, nisi in literis Vicariatus (dic potius: in literis concessæ illius specialis facultatis conferendi, si ea seorsim à Vicariatu concessa) singularis quoque facultas conferendi illa etiam noviter erecta exprimat.